



Epistola R. P. Ludovici Davaugour ad R. P.  
Iosephum Germain, superiorem Gene-  
ralem Missionum Canadensium,  
De Missione Lauretana in  
Nova Francia 1710.

PETIT a me R<sup>a</sup>. V<sup>a</sup>. ut ipsam certiorem faciam  
de statu nostræ Missionis Lauretanæ. Morem  
illi geram in hac epistola, in qua tametsi nihil  
splendidum leget ac magnificum, cuius modi plurima  
referentur de aliis Missionibus; non sine voluptate  
tamen, ut opinor, audiet, quam vitæ rationem Huro-  
nes hic nostri teneant quas pietatis exercitationes  
quotidie usurpent. Id vero tanto fidentius per-  
scribam, quanto minorem in iis, quæ dicam, partem  
habeo: totum hoc debetur [secundum Deum,] curæ  
industriæque R. P. Decouvert, quem ægra valetudo  
Quebecum proxime revocavit, ut commodius in colle-  
gio nostro curaretur. Hujus ego in locum, licet  
impar, Suffectus, quæ [in hoc oppidulo Lauretano]  
vidi, et comperi, narrabo.

Nonnullus reperire est qui existiment, ac porro  
scribant, Canadense solum sterile penitus ac infecun-  
dum esse, in quo scilicet Evangelii præcones duri et  
longi laboris fructum vix ullum percipient. Eos de-  
docere unus hic Lauretanus pagus potest. Evidem